



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 225. Quænam ex deposito nascatur obligatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)



peccatum grave, si depositarius rem consumptibilem usu consumeret, dum certus, se tantundem æquè bonum in promptu habiturum reddendum deponenti ad ejus repetitionem. Addit etiam Lefsius, adhuc non peccaturum, si erroneè seu deceptus putavit deponenti non displiciturum usum suæ rei; debere tamen postea eidem volenti compensare pro usu. Quod posterius tamen de Lugo sic limitat, ut procedat, si depositarius ex tali usu sit factus ditior, secus, si non est factus ditior; tunc enim ad nihil restituendum eum teneri ait, sicut nec alium, qui rem alienam bona fide consumpsit.

*Quæst. 225. Quenam ex deposito nascatur obligatio?*

**R**esp. Ex hoc contractu principaliter obligatur depositarius ad rem custodiendam, & regulariter eam in specie restituendam, quodocunque deponenti placuerit juxta dicta in antecedentibus; ubi tamen solum conventum inter deponere volentem, & eum, qui rem recepturus est, de custodia, obligatio nulla ob defectum traditionis (quæ spectat ad essentiam & formam hujus contractus) necdum secuta, adeoque consensione illa quasi in suspenso manente extra depositum nil nisi pactum nudum est, ex quo in foro civili obligatio & actio prodita non reperitur, unde depositarius (intellige designatus) postea pœnitere & custodiam recusare potest; cum contractus re seu rei interventu nondum sit perfectus; ita ferè Muller. *ad Siru. in ff. h. t. th. 36. lit. 6.* Porro ubi à deponente certum tempus adjectum, obligatur depositarius ad illud non præveniendum, seu ante illud elapsum dimittere à se rei custodiam Lauterb. §. 17. secus est, si simpliciter sine expressione temporis rem suscepit, potest enim tunc officium semel susceptum deponere, & rem deponenti, etiam eo invito, restituere, nisi fortè in tempestiva restitutione videretur fidem fallere. Muller. *loc. cit. th. 37. lit. 8.* aut etiam damnum deponenti per hoc causaret. Estque hæc obligatio ad restituendum ita comparata, ut depositum una solutione, & non per partes, deponente invito, reddendum; nisi fortè pro solido restitui nequeat. Muller. *loc. cit. juxta l. si duo. ff. h. t.* Extendit se hæc obligatio ad restituenda etiam omnia accessoria una cum re deposita, ad quam accesserunt. *L. 1. §. 14. ff. h. t.* unde omne lucrum, quod ex pecunia deposita, cum qua fortè negotiatus est, aliudve quid egit depositarius, deponenti restituendum. Muller. *loc. cit. lit. 1.* cum Gl. in *l. si is qui. ff. commodati*; cum, ut Idem, hic contractus sit bonæ fidei, cui consentaneum est, ut ad quem res ipsa spectat, ad eum quoque singula rei emolumenta perveniant. Arg. *l. 1. §. 13. ff. h. t.* nisi periculum seu casus fortuitus spectet ad depositarium; tunc enim lucrum, quod ex re deposita suâ industriâ percepit, sibi servare potest. Mull. *ibidem* cum Mantie. *de tac. & ambig. convent. l. cit. 6. à n. 4.* Obligatur quoque ad usuras, quæ causantur ex mora illius, dum interpellatus redditionem depositi differt. *l. 2. C. h. t. l. 29. §. 1. ff. eod.* Mull. *loc. cit.* ad modum aliorum bonæ fidei judiciorum, in quibus usuræ ratione interesse ex mora præstantur; ad quid verò teneatur ratione custodiæ, dicitur *quæst. seq.*

*Quæst. 226. Qualem diligentiam adhibe-*

*re, & ex qua culpa teneatur depositarius, dum res apud ipsum perit, aut deterior facta?*

**1.** Resp. primò: Depositarius in re custodienda tantam diligentiam adhibere debet, qualem suis rebus custodiendis adhibere solet. *L. quod Nerva. ff. h. t.* & non majorem, etiam aliàs in rebus suis custodiendis sit parum diligens, aut etiam negligens. Muller. *h. t. th. 37. lit. 2.* citans *l. 32. ff. h. t.* & *c. ult. h. t.* quo posteriore loco de hoc nihil; unde si hac diligentiam adhibita, res deposita apud illum perita, securum illum esse posse, & depositorem sibi suæque illitati imputare debere, quod homini negligenti rem custodiendam tradiderit, ait Muller. citans §. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* & Schneidevvin. *ibid. num. 16.*

**2.** Resp. secundò: Depositarius, dum res apud illum deposita in solius deponentis gratiam & utilitatem, uti regulariter contingit, & hinc non tam arctam & diligentem sui custodiam ab eo exigit, non nisi de dolo (qui, v. g. præsumitur commissus, seu bona fides abesse, si rebus propriis salvis res deposita in eodem loco existentes sunt amissæ, ut dicitur *c. 1. h. t.*) & culpa lata seu crassa (quæ nomine doli comprehenditur & dolo præsumptivè æquiparatur. *cit. L. quod Nerva*; & qualem, v. g. commississe censetur, dum rebus suis diligenter in arca clausis, res depositas reliquit palam in scamno jacere, & ideo amissæ) regulariter tenetur. De Lugo *de §. & §. d. 8. §. 9. num. 116.* Pirh. *h. t. num. 3.* cum communi juxta *l. 1. C. h. t. junctâ Gl. v. culpam. l. 1. §. fin. ff. h. t. & l. 1. §. is quoque. ff. de act. & oblig.* & juxta generalem regulam, quod in contractibus, qui celebrantur gratiâ dantis, tantum præstetur dolus & culpa lata. Unde dum res apud depositarium perit aut deterioratur levi vel levisimâ culpâ, ad damnum refarciendum non tenetur. Pirh. *h. t. num. 4.* cum communi. Porro dolus, etiam sit difficilis probationis ut Mascard. *de prob. concl. § 31. num. 1.* quippe consistens in animo, & hinc directè non probabilis, allegatus tamen à deponente probandus est, ut Molin. *Tom. 2. tr. 2. d. § 27. à num. 1.* Carp. *l. 5. respons. jur. cit. 2. resp. 13.* Muller. *loc. cit. lit. 9.* & alii passim, nimirum conjecturis & præsumptionibus seu indiciis, iisque perspicuis. Mascard. *loc. cit. n. 2.* & 7. juxta *l. dolum. C. de dolo malo*; id est talibus, ut non possint accipi, nisi in malam partem. Castrensi. *in cit. L. dolum. num. 1.* Mascard. *cit. num. 7.* Et quamvis dolus non præsumatur, & quenam sint indicia perspicua & sufficientia ad eum probandum, relinquendum sit arbitrio Judicis. Mascard. *loc. cit. num. 10.* Arg. *l. 1. ff. de jur. deliber. dantur tamen casus, in quibus jus ipsum præsumit dolum.* Talis casus est in *c. 2. h. t.* de quo paulò ante. Item à jure præsumitur dolus, dum actus, ex quo alteri damnum sequitur, est illicitus & simpliciter prohibitus. *c. 1. de præsumpt. junctâ Gl. fin. l. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Siccac.* Masc. *loc. cit. concl. § 32. num. 10. & 50.* Fagn. *in c. ex conscientia. de crim. falsi. num. 12.* Item jure præsumitur dolus, dum quis non facit id, quod facere debebat. *L. si Procuratorem. §. dolo ff. mandati. l. dolum est. ff. eod. & ibi Bartol. in summar. & sic depositarius hoc ipso dolo facere censetur, quod rem reposcenti non reddat, dum redere potest. L. 1. §. est autem. ff. h. t. Menoch. de arb. cas. 208. num. 35. Mascard. loc. cit. num. 24. & 149. apud quem*